



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Clericis Sancti Grisogoni tam praesentibus quām futuris canonice
substituendis in perpetuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

sententiam pro Bracarensi Ecclesia promulgavit, scribens Episcopo, Clero, & populo Zamorensi ut ei & Ecclesia Bracarensi tanquam sua metropoli humiliter obdiren̄t, ac postmodum possessio-
nem ipsius Bracarensis Archiepiscopus, sicut nobis ex parte sua fuit propositum, est adeptus. Postmodum vero idem Compostellanus Archiepiscopus primò à bonae memoriae Alexandro Papa ac demum à Lucio prædecessoribus nostris ad delegatos judices contra Zamorem Episcopum, qui tunc se juxta ejusdem Archiepiscopi assertionem habebat pro libito, litteras impetravit: qui pro eo diffinitivam sententiam protulerunt: cujus inquisitionem felicis recordationis Urbanus Papa prædecessor noster commisit ad petitionem venerabilis fratris nostri Bracarensis Archiepiscopi faciendam. Nuper autem cum idem Compostellanus & idem Bracarensis Archiepiscopi propter hanc & alias causas, quas habebant ad invicem, ad nostram præsentiam accessissent, & super his fuisse ab eis aliquandiu disceptatum, de consilio fratrum nostrorum sententia decrevimus ut illa sententia in nullo prorsus obſisteret Archiepiscopo vel Ecclesia Bracarensi. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus sive adversus eundem Compostellanum, sive adversus venerabilem fratrem nostrum Zamorensem Episcopum, vel etiam adversus utrumque super hoc agere voluerit Archiepiscopus Bracarensis, denuntiatione tamen facta prius à vobis Compostellano, ut, si voluerit, Zamorensem Episcopum tueatur, si Bracarensis Zamorem maluerit convenire, vos ad locum congruum accedentes, ad quem partes suos possint testes inducere, & de fama diligentiis inquirentes, partibus convocatis, & ipsius cauſe meritis per earam assertionem pleniū intellectis, ad sententiam appellatione postposita procedatis, facientes &c. Testes cogantur. Quod si omnes &c. tu frater Oxomen. &c. ita quod si alterum vestrum, fratres Portugallen. & Placentin. decedere forte contigerit, liceat Metropolitano suo in locum decedentis quem voluerit ex suis suffraganeis subrogare. Datum ut suprā.

*CLERICIS SANCTI GRISOGONI
tam praesentibus quam futuris canonice
substituendis in perpetuum.*

EA quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ratione prævia statuuntur, tanto volumus firmius observari, quanto de maturiori videntur consilio processisse; & ne imposturum alicujus valeant temeritate turbari, apostolico sunt munimine fulcienda. Sanè cum bona memoria Iohannes Crema Ecclesia vestræ Presbyter Cardinalis in præsentia felicis recordationis Calixti Papæ prædecessoris nostri adversus Clericos sancti Salvatoris de Curte suam depositisset querelam, pro eo videlicet quod tam ei quam Ecclesia vestræ debitam obedientiam subtraxissent, & jura parochialia denegarent, idem prædecessor noster utraque parte ad suam præsentiam evocata, & rationibus utriusque diligenter auditis & cognitis, inspectis etiam privilegiis bona memoria tam Iohannis XV. Papæ, quod supradictam Ecclesiam sancti Salvatoris de Curte in fundo Ecclesia vestræ sub censu annuo constitutam monstrabat, quam Urbani II. in quo evidenter diffinitum agnovit ut Clerici prædictæ Ecclesia sancti Salvatoris essent in canonica subjectione, & ficerent vobis & Ecclesia vestræ obedientiam, & deberent scrutinium, baptisma, capitulum, processiones, & Clericorum ordinationes vobis & Ecclesia vestræ sicut proprio titulo exhibere, quæ idem Cardinalis ad tuitionem suæ causæ in medium producebat, frarrum suorum habito consilio per sententiam diffinitivit præfamat Ecclesiam sancti Salvatoris debere in prædictis omnibus vestræ Ecclesia respondere. quam videlicet sententiam bona memoriae Innocentius & Lucius Papa secundus postmodum confirmarunt, sicut in eorum vidimus privilegiis contineri. Cumque postmodum prædicti Clerici eandem nollent sententiam obſervare, bona memoria Guido Ecclesia vestræ sancti Grisogoni Presbyter Cardinalis in præsentia felicis memoriae Adriani Papæ, anno ejus primo, suam depositit questionem. Qui auditis & cognitis quæ proponebantur hinc inde, & inspectis privilegiis bona recordationis tam Urbani quam Calixti Romanorum Pontificum, & qualiter hanc eandem controversiam, cum in suis tem-

*Epif. 155.
De confirma-
tione p̄tive-
giorum.*

poribus inter ipsas Ecclesias emersisset, diffinierit, controversiae ipsi debitum finem imposuit, & eorum sententias privilegij pagina confirmavit & Clericos illius Ecclesiae vobis vestrisque successoribus & Ecclesiae vestrae beati Grisogoni parochialia jura sicut proprio titulo exhibere decrevit. Postmodum autem quinto anno pontificatus ejusdem Bonadies Presbyter Cardinalis Ecclesiae vestrae, cui praedicti Clerici sancti Salvatoris, tanquam contumaces & rebelles, subjectionem & obedientiam facere noluerunt, accessit ad eundem Pontificem praedecessorem nostrum Adrianum, & coram eo de illis suam depositit quæstionem. Qui cum eandem causam cognoscendam bonæ memoriae Bernardo Portuensi Episcopo commisisset, idem Episcopus prædecessoris nostri Calixti sententia diligenter inspecta, de mandato ejusdem pronuntiavit eandem sententiam à dictis Clericis sancti Salvatoris debere inviolabiliter observari, sententiam ipsam proferens sicut in authentico scripto per manum Scriniarij exinde facto continetur expressè, qua ad exhibitio nem juris parochialis Iohannem Oeconomum prædictæ Ecclesiae & omnes ejusdem Ecclesiae Clericos condemnavit, videlicet in scrutinio, baptismate, capitulo, processione, & Clericorum ordinatione; & præfatum titulum Ecclesiae vestrae sancti Grisogoni ad omne jus parochiale restituit, sicut in privilegiis vestrae Ecclesiae continetur. Ceterum cum tempore felicis recordationis Alexандri Papæ III. saepediæti Clerici contumaces existerent & rebelles, nec latæ sententiae vellent aliqua ratione parere, ad instantiam Clericorum tunc Ecclesiae vestrae eos ad suam præsentiam evocavit: qui coram eo proponere curaverunt quod sententia illa non deberet aliqua ratione tenere, pro eo quod interposita fuerat appellatione suspensa, & etiam lata contra libertatem Ecclesiae suæ per privilegium apostolicæ sedis indultam: in quo videlicet privilegio continebatur expressum, quod Ecclesia sancti Salvatoris de Curte nulli alii nisi Romanæ Ecclesiae subjaceret. Quod quidem privilegium, sicut in publico instrumento per manum Scriniarij exinde facto habetur, ab Oeconomo Ecclesiae vestrae in controversia illa qua actitata est coram prædicto Bernardo Episcopo Por tuensi, & alia similiter privilegia quæ pro libertate suæ Ecclesiae prætendebant, sunt falsitate penitus confutata; tum quia recens junctura & incollatura evidenter apparebat, & multa in se mendacia continebant; tum quia nullis alijs temporibus visa sunt vel exhibita. Auditis itaque & cognitis utriusque partis rationibus, & privilegiis praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum diligenter inspectis, habito fratrum suorum consilio, praedicti Episcopi sententiam confirmavit, & perpetuis temporibus firmam manere fancivit: quam etiam felicis recordationis Lucius Papa III. prædecessor noster rata habuit cum duo ex Clericis sancti Salvatoris, quos ad suam propter hoc præsentiam evocarat, coram eo confessi fuissent sententiam fuisse prolatam, eandem se servasse ac servare firmiter velle afferentes. Nos igitur eorundem prædecessorum nostrorum Iohannis, Urbani, Calixti, Honori, Innocentij, Lucij, Adriani, & Alexandri vestigij inhærentes, eandem sententiam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Vobis etiam vestrisque successoribus & per vos eidem Ecclesiae vestrae S. Grisogoni in perpetuum confirmamus Ecclesias & capellas quæ infra ejusdem beati Grisogoni parochiam continentur, videlicet saepediætam Ecclesiam S. Salvatoris de Curte, quæ etiam Felix Aquila nuncupatur, Ecclesiam sanctæ Bonosæ, Ecclesiam sanctæ Agathæ, cum pertinentijs earum, Ecclesiam sancti Stephani, quæ utroque jure, parochiali videlicet & proprietatis, ad vestram dignoscitur Ecclesiam pertinere: ut quicquid dignitatis, quicquid reverentia, quicquid parochialis juris matrix Ecclesia in suis habet Ecclesias & Capellis, hoc vos in istis per Deigratiæ habeatis, tam in ordinacionibus Clericorum per easdem Ecclesias collocandorum, sive ad ecclesiasticos ordines promovendorum, quam in scrutinis, baptismatibus, processionibus, capitulis, & in criminalium quæ publica sunt judicis. Nullus ergo Episcopus, nullus Cardinalis, nullus Abbas, nullus Archipresbyter in prædicto beati Grisogoni titulo, in Capellis & territoriis eorum, parochialia sibi jura audeat vendicare; nec Abbatum alicui facultas sit parochianos vestros, nisi forte ab eis deliberatum sit, in suis Ecclesiis sepelire.

Quod

Quod si viventes adhuc religionis intuitu apud eos sepeliri deliberaverint; cum vestra quoque praesentia, salva matricis Ecclesiae justitia, tumulentur. Ad haec adiicientes, vobis vestrisque successoribus & per vos Ecclesia vestrae perpetuo confirmamus Ecclesiam sancti Iuliani, cum domibus, cellis, cryptis, hortis, vineis, & arenariis suis, cum terris cultis vel incultis, sylvis, pantanis, & pratis suis, cum suis aquiniolis in rivo qui vocatur Arton: quæ quidem Ecclesia sita est juxta castrum quod vocatur de Guid. Casale de Maliana, cum turri, vineis, agris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis, & aquarum recursibus. Vineas quas in Marcello, in Rosario, & in pratis Papæ possidetis, cum pratis & aliis pertinentiis suis. Vineas etiam & terras in Virgine. Molam quam in flumine Tyberis habetis, & quartam partem alterius molæ. Casale in campo de Merulis, terras in Marcello, terras in Ventrebublo, cum aliis omnibus que impræsentarium justè & canonice possidetis, vel in futurum largiente Domino poteritis adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet honores & bona sepestatæ Ecclesiæ vendere, in feudum dare, aut ab eadem Ecclesia modis quibuslibet alienare, ipsam Ecclesiam temere perturbare &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, X. Kal. Augusti, Indictione secunda, incarnationis dominice anno MCXCIX. pontificatus vero Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

*AMERICO ABBATI
Cadunensi.*

Epi. 154.
Vt reformatio
mīc cōta, & à
Legato aposto-
lico probata,
faveatur.

In ter ceteras sollicitudines quæ nobis ex officio creditæ servitutis incumbunt, animum nostrum sollicitior cura perurget, cum eos qui terrenas illecebrosummodo habitum regularem deberent penitus abdicasse, & obsequiiis efficacius divinis insistere, audimus esse inquinamentis malitiæ ac dissolutionis vitiis irretitos, & ad eorum correctionem stadium efficax & promptam voluntatem nos convenient adhibere. Nimirum cum per insinuationem tuam ad apostolatus nostri audientiam pervenisset, zelo Dei conscientiam tuam, sicut credimus, excitante, quod ab antiquo abbatia Ca-

duniensis non solum pastorem de ordine Cisterciensi suscepit, sed etiam habitum & observantiam regularem, per quam tam in temporalibus quam spiritualibus olim cœlestium donorum profecerat incrementis, & tandem per quodam disciplinatos filios voluntatis propriæ sectatores, qui cervices suas indomitas ab illo jugo suavi & salutari minus licenter excutere presumperunt, ad tantæ dissolutionis miseriam peccatis exigentibus jam devenit, ut à malitia inhabitantium in ea, sicut etiam ex testimonio plurimorum didicimus, defecatum minaretur pariter & ruinam; propter hoc bonæ memorie A Piætaven, & venerabili fratri nostro R. Petragoricensi Episcopis & dilecto filio Arnaldo Archidiacono Petragoricensi præcipiendo mandavimus ut ad locum pariter accedentes, quicquid corrigendum invenirent tam in capite quam in membris, auctoritate freti apostolica, solum Deum habentes præ oculis, prævia ratione corrigerent, & fratres ipsos diligentius commonentes ut redirent ad ordinem Cisterciensem, à quo formam religionis sumpserunt, procederent ad emendationem ipsius loci tam in capite quam in membris, prout expedire viderent, & quod statuerent, per censuram ecclesiasticam facerent firmiter observari, conspirationes etiam & vitium proprietatis penitus extirpari, & fratres quos morientes in eo contingeret vitio deprehendi, Christiana sepultura carere. Adjectum fuit etiam quod si prædicti tres judices interesse non possent, reliqui duo præmissa exequi non differant. Vnde prædicti Episcopus & Archidiaconus Petragoricenses, sicut tenor litterarum suarum nobis pleniū intimavit, cum dictus Episcopus Piætavensis jam esset morte præventus, ad tuum monasterium accedentes, & intelligentes per famam publicam fratres ejusdem monasterij tam in propriis habendis quam in dissolutione vitæ suæ graviter diffamat, & eosdem propter nimiam dissolutionem, in qua erant nimium obstinati, & admonitionem penitus contemnebant, ad debitum religionis starum nullatenus aliter nisi per ordinem Cisterciensem posse reduci astantibus plurimis discretis viris tam Clericis quam Baronibus, ad quos locus ille ratione fundationis dignoscitur pertinere, ipsum monasterium Caduniense decre-

Vide lib. I.
epist. 246.

Vide Normas
nebras ad Con-
cilium Monspeliense
an. 1214. cap.
16.

Kkk